

res veræ religionis & veritatis divinæ, inevitabile erat, ut non privarentur etiam cognitione Dei, & religione. Hinc spississimæ istæ tenebræ, quæ mundo Ethnico incubuerunt, ab istâ lingvarum confusione, ad hoc ipsum tempus, de quo jam agimus. Verum jam adest medicina, & per donum linguarum sanatur vulnus mundi, inflatum per confusionem linguarum: atque amovetur in monte Zion velum illud, quod Babylone injectum erat super omnes gentes, *Esai. 25, 7.*

*Hieros. Taanith. fol. 65. 3.* Traditur forma orationis fundendæ in solenni jejunio noni mensis *Ab*, cujus hæc pars aliqua: *Misere-re, O Deus, urbis lugentis, conculcata, desolata* — כִּי בָאשׁ הַחֲרַבְתָּהּ — *Quia per ignem tu devastasti illam, atque per ignem aliquando readificabis eam.*

Si per ignem ædificandam vis novam Hierosolymam O Judæ, respice igneas hæc linguas, atque inchoatum agnosce jam ædificium, & modum quò illa ædificanda.

*Dicit Rabba:* מִיִּחְיִיב אִינִישׁ בְּסוּמֵי בְּפוּרִים — *Tenetur homo edulcari in Festo Purim, ita ut non dignoscere possit inter Maledictus sit Haman, & Benedictus sit Mordecai.*

*Rabbah & R. Zeira convivati sunt unà in Festo Purim, ואיבסוּם & edulcorati sunt.* Gloss. ואיבסוּם נִשְׁתַּכְּרוּ — *Et edulcorati sunt, id est inebriati.*

Nihil aliud ergò est *Γλαυκῶς μεμεσώμενοι εἰσι*, quàm illud vulgari dialecto *איבסוּם* *Edulcati*, quod quidem est *inebriati*.

At nonne ebrios eos potiùs duxeris, qui discipulos ebrios duxerunt, expeditam elocutionem in variis linguis ascribentes vino & ebrietati? Est Rabbini dæmon quidem *קרדיקוס* *Cordicus*, qui exagitat ebrios ex musto. *Gittin, cap. 7.* At num ille magister artis ingeniique largitor & lingvarum? Videntur ergò hi scurræ, qui derident, esse de fæce & ruditate populi, qui vernaculam linguam solùm callerent, & cùm non intelligerent, quid in alienis linguis dictum esset, nihil dictum esse autumarant, sed tantùm esse blateratum.

VERS. 15. Ἐστὶ γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας.

Nobis, hora nona matutina: Ante quod tempus, diebus præfertim